Eadem quippe substantia circa aequalitatis proportionem manet. Nam si quotlibet fuerint termini in ipsa
tantum quidem est a primo ad secundum quantum a secundo ad tertium et secundum in primum et secundum ad secundum et
tertium. nullatenus intervalli longitudo vel spatium. Si enim tres senarios ponas hoc modo
VI. VI. VI. quemadmodum primus est ad secundum sic est secundus ad tertium. Sed inter primum et secundum
nihil inter est. VI. enim et VI. nulla spatii intervalla disiungunt. Ita et ipsa unitas
in se ipsa multiplicata nil procreat. Semel enim unum nil aliud efficit quam
ipsa est. Neque quod intervallo caret et ita vim gignendi intervalla non recipit quod in
aliis numeris non videtur evenire. Omnis enim numerus in se ipsum multiplica
tus aliquid quemdam efficit maiorem quam ipse est. Idcirco quoniam intervalla multiplicata
maiore se sese spatii prolixitate distendunt. Id autem quod sine intervallo est, plusquam
ipsa est parturiendi non habet potestatem. Ex hoc igitur principio id est unitate pri
ma omnium longitudo succrescit, quae a binario numero principio in cunctos
sese numeros explicat. Quoniam primum intervallum linea est. Duo vero intervalla sunt

longitudo et latitudo id est linea et superficies. Tria autem intervalla sunt longitu
do latitudo altitudo id est linea superficies atque soliditas. Praeter haec autem alia in

tervalla inveniri non possunt. Aut enim unum intervallum erit quod longitudo est
aut aliquid duobus intervallis expositum ut si quid longitudinem habeat et latitudi
nem aut utrimque intervalli dimensione porrigitur si longitudine latitudine altitudineque
censetur. Super quae adeo nihil inveniri potest ut ipsorum sex motuum formae
ad intervallorum naturas et numerum componantur. Unum enim intervallum duos
in se continet motus ut in tribus intervallis sex sese motuum summa conficiat hoc modo.

Est enim in longitudine ante et retro. In latitudine sinistra et dextra. In altitu
dine sursum ac deorsum. Necesse est autem ut quicquid fuerit solidum corpus hoc
habeat longitudinem latitudinem et quicquid haec tria in se retinet illud suo
nomine solidum vocetur. Haec enim tria circa omne corpus inseparabili con
iunctione versantur et in natura corporum constituta sunt. Quare quicquid
uno intervallo caret illud corpus solidum non est. Nam quod duo sola intervalla habet
illud superficies appellatur. Omnis enim superficies sola longitudine et la